



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Quæstio VIII. Correctio seu Punitio Peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

in quo non peccatur, servando Juramentum illicitum, ut plurimum illud impleri nequit sine peccato. Tales sunt omnes Casus, in quibus Juramentum iniquum est, ob læsionem Dei, aut proximi. Idem est de Reg. X. quæ dicit, errorem & ignorantiam non esse peccata: hoc enim falsum est, quoad omnes Casus, in quibus error & ignorantia sunt vincibiles, & respiciunt id, quod sciri debet; tunc enim voluntaria sunt, & Officio contrariæ.

QUÆST. VIII. CORRECTIO seu PUNITIO PECCATORUM.

Propositâ Regulâ, puniendi esse peccata, *Decem Casus* excipit, qui reducuntur ad *Quatuor* genera. *Primum* est eorum, in quibus non est peccatum, sive quia remissum fuit, sive factum, vel per errorem, seu ignorantiam invincibilem, aut per metum cadentem in virum constantem. *Secundum* est eorum, in quibus peccata juridicè non sunt probata, deficientibus Accusatore, vel Judice competente, vel probationibus sufficientibus. *Tertium* eorum, in quibus punitio congrua non foret, ratione aliquarum circumstantiarum; puta, periculi labefactandæ pacis Ecclesiasticæ propter multitudinem Sontium, vel suspicionis adversus Judicem, qui, si læsus fuisset, Judex & Pars simul esset.

Quartum est eorum, in quibus punitio solum imminui debet, ratione circumstantiarum, quæ peccatum minuunt; velut error, ignorantia levis, metus levis, aut medicris, docilitas Rei.

Reliquæ Regulæ aliâ non indigent observatione, nisi *Secundam* & *Quartam* affinitatem habere, cum *Exceptione I. & II.* REG. I. nam respiciunt peccata multitudinis.

OBSERVATIONES in CAP. VII. de ELEEMOSINA JEJUNIO, & MARTYRIO.

Connectere potuisset hoc Caput præcedenti, dicendo, opera, de quibus disputaturus est, ex his esse, quæ Confessarius imponere potest penitentiaæ vice, & quæ Pœnitens sibi in eumdem finem imponere debet, ad supplendum id, quod deest penitentiaæ à Confessario præceptæ: nullam tradit Regulam circa *Martyrium*, cujus fit mentio in Inscriptione.

Eleemosinæ accommodare potuisset omnes Textus loquentes de Misericordiâ, quæ omnibus Proximi necessitatibus spiritualibus & corporalibus subvenit; vid. *Can. 10. 11. 12. 13. DIST. XLV.*

Divisio, de quâ agitur in REG. I. non est justa; nam Tertium Membrum includitur in Secundo; quippe, corrigere delinquentes, reducere devios, pertinent ad Eleemosinam spiritualem, sicut remittere injurias; Itaque ad Duo Membra illa reducenda est, nempe Eleemosinam corporalem, & spiritualem, vid. *Can. 12. & 13. laudatos.*

REG. II. Hoc in loco colligendæ erant omnes species Eleemosinæ, de quibus loquuntur Canones, istique indicandi. Autor loquitur solum de remissione debitorum, quæ est una ex ejus speciebus. *Can. 70. 71. 72. CAUS. XII. QUÆST. II. laudati REG. III. legi merentur: loquuntur de causis seu momentis adhibendi ad redemptionem Captivorum & aliorum Pauperum opulationem, id quod Ecclesia pretiosissimum habet. Can. 10. CAUS. XXXI. QUÆST. I. laudatus REG. IV. docet, Viduas, quæ adjuvari debent, eas esse, quæ Christianam vitam ducunt; quod ad alios Pauperes producendum est.*

Verbum *Injusti* adhibitum in REG. V. est æquivocum significans generatim omnes Peccatores, & specialiter eos, qui alios vexant, aut nocent. *Can. 11. CAUS. XIV. QUÆST. V. loquitur de omnibus Peccatoribus, & dicit, illorum Eleemosinas Deo non placere.*

Cap. 2. de Raptor. laudatum REG. VI. loquitur de casu, in quo Usurpator boni profani, aut Ecclesiastici, non restituit, cum poterat; & ratione hujus circumstantiæ, prohibet, accipi ejus Eleemosinas à Clericis, qui exemplo suo inspirare debent horrorem ab injustitiâ, quæ bonum opus ex alienâ jacturâ facere studet. Nihilominus videtur, quod, si Eleemosinas erogaret Clericis Ecclesiarum, quarum bona invasisset, illæ accipiendæ essent velut restituito.

REG. VII. restringenda est ad Eleemosinas, quæ sunt ad Altare; sin minus; illa severior foret: cum prohibeat accipi Eleemosinas Excommunicatorum, qui hac in re durius tractarentur, quam Infideles, quarum Eleemosinæ accipi possunt. *Can. 3. CAUS. XXIV. QUÆST. II. laudatus ibid. id insinuat; sed fateri cogimur Cap. 54. de Sent. Excomm. huic expositioni contrarium videri.*

Textus laudati in REG. VIII. non loquuntur de lucris turpibus, non tamen injustis, qualis est quæstus Scenicorum, Astrologorum, Meretricum, Concubinarum; sed de iniquis acquisitionibus, provenientibus è Furto, Latrocinio, Rapinâ, Concussione, Simonia, Usurâ. Textus hi sunt *Can. 27. CAUS. I. QUÆST. I. & plerique Can. QUÆST. V. CAUS. XIV. Can. 14. ibid. nimis generalis est. Additio Gratiani nostræ distinctioni consonat. Idem est de eo, quod legitur in fine Can. 15. nempe Officiales Magistratum accipere pecuniam ab utraque Parte, quamvis nihil ipsis debeatur, & talem Consuetudinem tolerari; eos verò, cum pietati magis se devoverint, ex bonis sic partis, tanquam ad se pertinentibus, Eleemosinas facere.*

Can. 19. DIST. III. de Pœnit. laudatus REG. IX. dicit, miserendum esse sui ipsius, & misericordiam ergà seipsum exercendam esse, priusquam ergà alios; hinc Autor concludit Pœnitentiam Eleemosinæ præmittendam esse. Aliquantulum immorati sumus circa Regulas de Eleemosinâ, quoniam omnes circa praxim versantur. Nihil diximus de defectu ordinis, qui levior est.

Loquendo de Jejunio, Autor colligere debuisset id, quod Jejunio commune est; sive naturali, in abstinentia ab omni cibo consistenti, quodque Communioni peculiare est; sive aliis quibuslibet, quorum aliud consistit in abstinentiâ à Carnibus, ideòque vocatur *Semijejunium*: talis est abstinentia dierum *Veneris & Sabbati, S. Marci, Rogationum*: aliud, huic abstinentiæ adjicit unitatem prandii: item, observare eorum effectus generales. Item, loqui debuisset de actibus aliis, quàm Communio, qui fieri debent à Jejunis; puta, Jusjurandum; Administratio & Receptio Confirmationis.

Loqui debuisset de Diebus, in quibus Jejunium prohibetur; nempe, Dominicæ, Natali Domini, Feria 5. Hebdomadæ Sanctæ: & observare, Diem hunc à Jejunio non esse hodie immunem. Loquendo de Diebus abstinentiæ, observare debuisset, omnes particularitates hujus Jejunii; idemque facere, loquendo de aliis Jejunii diebus. Omissit loqui de Vigiliâ Assumptionis, cum loquutus est de Vigilia Apostolorum. Jejunium Vigiliæ Pentecostes hodiè non est devotionis, ut dicit Autor, sed obligationis.

Regula, quam sequimur hodie circa Septimanam, in quâ celebratur Jejunium Quatuor Temporum, his verbis continetur, *post Pen. Crux, Lux, Cineres*, id est, Septimana post Pentecosten, post Exaltationem S. Crucis, post S. Luciam, & post Cineres: itaque REG. VII. exolevit. Vitiâ hæc, & quædam alia vitavimus in REGULIS nostris circa Jejunium. His, quæ dicit de Jejunio spirituali, sive à peccato, REG. XXII. adjicere debuisset, illud comitari debere Jejunium materiale.